



BIONIS SMYRNÆI

IDYLLIUM I.

EPITAPHIUM ADONIDIS

Cujus mors defletur a poëta ; luctusque Veneris , a qua puer vehementer amabatur , describitur . Erat autem sollemne , variis in locis , mortem Adonidis quotannis defleri maximo apparatu .

INCIPITE o questus : periit formosus Adonis ,
 Heu periit ; mœsti lugubre queruntur Amores .
 Ne jam purpureo recubes sub regmine , Cypri ;
 At surgens atrata sinus percussa que palmis
 Pectora , dic cunctis : periit formosus Adonis .

Incipite o questus ; lugubre queruntur Amores .
 Frondiferis alte jacet ille in montibus album
 Albo dente femur male læsus , & angit amantem
 Cyprin vix spirans . ater per candida sanguis
 Membra fluit , languent pallenti lumina fronte ,
 Atque rosæ fugere , simul fugere labellis
 Oscula , quæ cupiens numquam Cytherea relinquet .
 Grata vel exstincti divæ sunt oscula : at ille
 Heu moriens , quæ diva iterat , non oscula sentit .

Incipite o questus ; lugubre queruntur Amores .
 Horrendum , infelix ! horrendum vulnus Adonis
 In femore ; at majus Cytherea in pectore servat .